

etabit se multum decipiendo foeminas, sodomita magnus, autor mali, tam loquendo quam agendo, uult multa facere, & multis se negocijs obtrudere, & forte non perficiet, magni clamoris, mali consilij, faciet Sacramenta falsa, proditor, uituperans alios, duplex in facie & corde, quoniam aliquando facies aliud ostendit quam eius cor uult, consilia eius cum prodicione fient.

Mercurius si solus fuerit dispositor animae, id est, si fuerit dominus loci Lunae, & dominus suimet loci, nec alicui stellae permixtus, nisi fuerit stella fixa de sui natura, & fuerit fortunatus, facit natum acuti intellectus & optimi ingenij, bonae memoriae, imaginationis subtilissimae, profundae opinionis, delectabitur in quadruuijs scientijs, & erit subtilis in Astronomia, & excellet in his scientijs, rimabit secreta naturae, bonae deliberationis, uersificator, benefaciet alijs, faciliter credet, seruator secretorum, bene retinebit gesta & facta aliorum, diliget mercimonia, erit acutus, ostendet se illum qui non est, sed tamen de his omnibus prosperabitur. Si fuerit Mercurius infortunatus, natus erit mutabilis in opinione, quoniam nunc uertetur ad unum, deinde ad aliud, facit mendacia & fallacias, ignarus, loquax, non credet in Deum, nec ei obediens, nemini seruabit fidem, sequetur consilia sua, fraudulentus & stultus.

Luminaria quoque in qualitatibus animae adiuuant, dummodo in locis aptis figurae, & in signis naturae ipsorum conuenientibus reperta fuerint.

Sol enim quando conuenientiam habuerit cum planeta, statum spiritus significante, & fuerit bonae qualitatis, erunt etiam animae qualitates magis directae, & erit natus remotior ab aliquo, & temperatus magis, nec non potentior & largus magis, fidelior, legisque melioris, ac sine superbia. Cum autem Sol nullam habuerit participationem cum planeta spiritum significante, & ipse planeta est in malo statu, erit anima qualitatis deterioris, eritque miser ac infirmus, maiorisque laboris, in suis consilijs plurimum confidet, stultus erit, seuerae uoluntatis, & ualde difficilis emendatu.

Luna autem cum fuerit in fine Septentrionis & Meridiei, hoc est, in fine suae latitudinis, uariationes qualitatis animae iuuabit, & eas subito alterari faciet. Cum autem in aliquo duorum nodorum, id est, in Capite uel Cauda draconis extiterit, acumen qualitatum animae iuuabit, facietque natus opera sua uelociter. Cum autem Luna fuerit ascendens, lumine aucta, id est, quando uadit ad oppositionem, & quando est in plenilunio, tunc significationes augmentabit, eruntque aptiores, ac magis necessariae. At si Luna minuta fuerit lumine, uel quando sub radijs Solis extiterit, eos faciet magis esse abscondos, & ut non ita fortiter propositum scopum contingant operabitur. Haec Ptolemaeus.

Sententiae & aphorismi aliorum.

Pro qualitatibus animae considera

- Mercurium
- Almuten loci Mercurij
- Lunam
- Almuten loci Lunae
- Ascendentem
- Almuten Ascendentis
- Secundum dominum triplicitatis duodecimae domus
- Tertium dominum triplicitatis duodecimae domus.
- Tertium dominum triplicitatis septimae domus.

Q ij Statu